Duplicate

DISPUTATIO MEDICA De PESTE, POSTERIOR.

Quæ de

CURATIONE.

Præſide

Clariſſimo Viro,

D. GERARDO BLASIO, Med. Doctore & Profeſſore Publico,

Reſpondente

CORNELIO de VOGEL, Amſt. Bat.

Placidæ Eruditorum diſquiſitioni

In Illuſtri Amſtelodamenſium Athenæo ſubjecta

Ad diem 7 Novembris, horis ſolitis.



AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM RAVESTEINIUM, Civitatis & Illuſtris Scholæ Typographum, MDCLXIII.

ISH MUSEUM
DUPLICATE
787

DISPUTATIO MEDICA De PESTE, POSTERIOR.

THESIS. I.

PEſte quod ſi quis jàm infectum ſe obſervaverit, ex frigore, tremore, laſſitudine, cæphalalgia, anxietate, nauſeâ, vomitu, ſiti, carbunculis, bubonibus, ſimilibuſque, id percipiens, tum maxime, cum contagioſus ille morbus plures occupare notatur, præcipue omnium ipſi incumbere cenſemus, ſine morâ ullâ ad Deum Opt. maximum confugere, ejuſque gratiam implorare, auxilium itidem & ſolatium, ut Ille clementer iram ſuam ab ipſo avertere dignetur. Hinc ad Medicum ſe convertat, Mediorum à Deo creatorum uſurpationem juſtam, eamque quàm citiſſimam, ab eo flagitans.

II. Hîc Medico tria maximè incumbunt, Cauſarum nempè, Externarum æque ac Internarum, Peſtem producentium, & foventium, emendatio, Peſtis ipſius curatio, & Symptomatum mitigatio.

III. Cauſas quod ſpectat, & quidem primò Exernas, cùm in Aëre præcipuè Peſtis cauſam primam conſiſtere communis ſit opinio, praxin medicam ſibi non parum faventem habens, ſivè ea ſint Animalcula quædam ſingularia, ex ſeminali quodam principio ortum ducentia, de quibus ſpeciali diſputatione haud ita pridem Clariſſimus Collega meus *D. Arnoldus Senguerdius*, ſive particulæ quædam ſingulares, certæ diſpoſitionis, ſive aliud quid humani ingenii acumen fugiens, utique ab Aëris correctione plurimum etiam Peſtis ipſius ſublationem adjumenti ſumere, res ipſa docet.

IV. Aëris

IV. Aëris hæc correctio publica eſt, & privata; illa ad Magiſtratum maximè pertinet, hæc ad unumquemque Patrem-familias, aut alios, privatas ædes inhabitantes.

V. Publica Aëris ab inquinamento peſtifero liberatio variis perficitur modis, quorum præcipui poſſunt eſſe, Vaſorum pice obductorum, aliorumque lignorum hinc indè per Civitatem, & maximè in locis ſpatioſis, incendia; Sclopetorum & tormentorum bellicorum exploſiones; Campanarum publicarum pulſationes; Odoramentorum in Templis, Curiis, ſimilibuſvè locis, ubi fræquentia magna hominum notatur, ſparſiones aut incendia; Platearum, aquarumve à ſordibus quibuſcunque depurationes; Ædium, in quibus Peſte extincti fuere, occluſiones; Contaminatorum extra urbem in loca deſtinata deportationes.

VI. Hæc eadem Magiſtratus efficit, ſiquidem, ne promiſcuè homines ex locis ſuſpectis advenientes, multo minus merces, aut alia inde delata, recipiantur; Sani promiſcuè inter infectos verſentur; Ex ædibus infectorum aut defunctorum aliquid, ſive uſuale fuerit, ſive abjiciendum, publico exponatur, aut etiam, niſi poſt aliquot ſeptimanas, aliis vendatur; Frumenta, fructus horarii, animalia quæcunque, corrupta, mortua, aut ſaltem facilè corruptibilia, dono, aut numerato pretio, exhibeantur; quam fieri poterit, ſeveriori edicto prohibeat.

VII. Non parum quoque ad hujus Cauſæ correctionem facit Magiſtratus idem, dum præter Theologos, Medicinæ ac Chirurgiæ peritos viros eligit, qui infectorum curam habeant, viros itidèm ac mulieres, de quorum fide ac probitate conſtat, qui ægrotis ubique inſerviant.

VIII. Privata magis Aëris Peſtiferi correctio, præter ea quæ diſputatione præcedenti Theſi IX & ſequentibus aliis exhibuimus, diverſimode quoque per-

 ficitur.

3

ficitur. Utiliſſimum valde, neceſſitate urgente, Ventorum ab oriente aut ſeptentrione flantium acceſſum aliquem per feneſtras procurare, ægro benè contecto; ignem, pro conditione temporis anni, plus minuſve notabilem, ex lignis calidioribus, & ſi fieri poſſit, fraxino, junipero, querco, ſimilive, in cubiculo exſtruere; Pulveris pyrii aliquid incendere, vel ſolum vel cum aceto in pilulas redactum; Æſtu ſummo Aëris exigente Herbas frigidas, aut flores v. gr. Roſar. Nymph. per ſe aut aceto madefactas, vel etiam acetum ſimpliciter, per pavimentum ſpargere, aut in conclavi ſuſpendere, additis & nonnunquam Alexipharmacis; Venenum recipientia, ut ſunt panis calidus, cæpæ, ſimiliaque, in cubiculo ſuſpendere; Suffumigia, prout homines perferre valent, grati aut ingrati odoris, parare; Ædificia ab aranearum telis aliiſve ſordibus curioſe purgare.

IX. Omnia per ſe conſtant, de Suffumigiis aliquid addendum. Materiam præbent varia, præcipuè Baccæ junip. lauri, Fol. lauri, Rutæ, meliſſ. roriſmar. Flor. roſar. lavend. Acetum, ſimplex aut compoſitum, Maſtich. Thus, Succin. Benſoin, Ladan. Styrax. cal. Sandarac. Oliban. Lign. aloës, Cinam. Caryophil. Santala. Quorum uſus hic aut ſimilis poteſt eſſe.

R. Acetum, inſperge lapidi ardenti, ut vapor diſtribuatur per cubiculum.

R. Acetum, infunde vaſculo ſtanneo, hoc impone carboni, ut vapor excitetur, qui excellentior erit, ſi Caryophill. groſſe contuſorum aliquid addatur.

R. Succin. alb. Styr. cal. an. ℥ij. Ladan. ℥ß.
Maſtich. Oliban. Benſoin. Sandarac. an. ℥ij.
F. *Tragæa* pro fumo odorato. Cui ſi addatur mucilag. Tragacant. in aq. roſar. facta, poſſunt exinde parari *Trochiſci*, pro placitu igni injiciendi. Aut ſi miſcean-

miſceantur Carbones tiliæ, *Candelæ* formari.

R. Thuris, Baccar. junip. an. q. v. impone igni.

R. Ladan.℥ij. Styrac. cal. Benſoin, an. ʒj. an. ℈ij. Thuris, Succin. an. ℥j.

Roſar. rubr. Cinam. Caryoph. Ligni aloës an. ʒß. Moſch. ambr. an. gr. iv.

F. cum Tragacanth. ſolut. *Trochiſci* pro fumo; aut additis Carbonibus Tiliæ q. ſ. *Candelæ* ad idem.

X. In Alimentis & Potulentis, quæ inter Cauſas morborum externas ſummæ etiam conſiderationis merito ſunt, ſiquidem vitii aliquid occurrerit, prudentis & Magiſtratus eſt, ut in modò dictis indicavimus, & Medici, id emendare, alia ſubminiſtrando, ſi poſſibile, prioribus neglectis, abjectis, terræ commiſſis.

XI. Cauſas Internas quod ſpectat; præcipuè Medici curam flagitant Humores impuriores, à naturali ſuâ diſpoſitione graviter recedentes, cauſam externam conſervantes, aut ut vehementius agat, efficientes. Hæc quandoquidem ipſius Peſtis curationi conjuncta ſit, qualis requiratur ea patefaciet.

XII. *Peſtis* ipſius curatio ex iiſdem fontibus, quibus præſervatio ejuſdem, deſumitur, Diætâ ſcil., Chyrurgia, & Pharmaciâ.

XIII. *Diætam* Peſte laboranti præſcribere perquam difficile, cum mira hîc occurrat in ſubjectis diverſitas, ratione ſtatûs maximè, conſuetudiniſve; In genere victus omnis euchymus ſit, facilisque digeſtionis, leniter refrigerans, & exſiccans, Alexipharmacis, Cor roborantibus, malignitativè reſiſtentibus, ſupra indicatis, pro ciborum conditione, his aut illis, additis, ubi acetum, ſuccus limon. acetoſ. multum faciunt.

XIV. Et quandoquidem vehementiâ hujus morbi vires valde deſtruantur, copiâ autem natura gravetur,

adeoque à neceſſario ejiciendi opere avocetur, cibos ita præparare convenit, quo exiquâ quantitate ſumpti plurimum nutrire queant, qui ſic, præſertim poſt tertium aut quartum diem, ſæpius de die, ægrotanti, etiam nolenti, offerendi. Hujus generis juſcula contuſa, aut conſummata, & gelatinæ. Exempli loco poſſunt eſſe.

R. Carnis animalis nutrititii, ut eſt Capon. Gallin. Pullor. Ovill. Vervecis, Cancr. fluviat. ℔j. aut plures, in partes diſſectum ablue aquâ vel vino, hinc in aqua vel vino, vel utroque, coque ad mollitiem omnimodam, addendo (quod tamen non ſemper neceſſe) vegetabilia cordialia. Decoctum coletur, & à pinguedine liberatum exhibeatur ægro pro *Iuſculo Conſummato.*

R. Pectus unum, aut plura, Capon. Galli. aut alterius avis, vel Carnis alicujus, aut plurium, ex prædictis ℔j. aut ij. vel utriuſque aliquid, integra, non diſſecta, aliquoties abluta, ad mollitiem coquantur, hinc contundantur in mortario lapideo, & ſuccus exprimatur, qui dilutus proprio juſculo, à pinguedine liberato, modiceque adhuc, vel ſolus, vel cum aliis vegetabilibus, decoctus, exhibetur pro *Iure Contuſo.*

R. Carnes prædictas, quas volueris, adde (ſi placet, non enim neceſſarium ſemper id fieri) carnem pedum vitul. aut ſuill. benè conciſ. & lotam, coque in aquæ, aut potius vini, exiguâ quantitate, ad plenam mollitiem; Succus hinc exprimatur, qui refrigeratus concreſcit, à pinguedine liberandus, & cum micâ panis exhibendus. Aut de novo cum Cinam. Sacharo, Croco, Mace, &c. coquendus leniter, & ſic iterum coagulatus offerendus ægro debili pro *reſtaurante gelatina.*

XV. Po-

XV. Potus ſit Cereviſia tenuis, & in adſuetis, aut valde debilibus, vinum tenue, aquâ dilutum, & Succo citri, Syrupo granat. acid. de Limon. Rob. de Ribes. aut Ol. vitrioli, ſulphuris vel ſimili, alteratum. vel etiam Iulapium aliquod de quo in ſequentibus.

XVI. Somnus in principio levis ſit, ad ſudoris meliorem promotionem. Quod ſi verò initio morbi nimis ad ſomnum proclives decumbentes, quod frequentiſſimum, Alloquio, Contrectatione, vel etiam Medicamentis convenientibus, quantum fieri poterit, is inhibendus, ſequentibus autem diebus, adſumpto prius Antidoto, trium quatuorve horarum ſomnus concedi poteſt.

Contrarium verò ſi contigerit, vigiliis nempe nimiis tentari ægrum, neceſſitate cogente ſomnus procurandus externis, temporibus, capiti, aut plantis pedum, applicandis, ubi à frigidis nimium omni modo abſtinendum niſi correcta aliis fuerint.

Ad vigilias auferendas hæ formulæ poterunt conferre.

R. Sem. 4. frig. maj. Papav. alb. an. ℥j.
Flor. Roſor. Viol. Nymph. an. P.ij.
Chamæm. Melil. an. Pj. F. *Tragæa* quæ includatur ſacculo lineo, aceto irrorando, pro *Fontali*.

R. Unguent. Popul. Alabaſtrin. Roſar. à ʒij. Miſce, aut adde Croci. ℈j. F. *Unguentum* temporibus illiniendum.

R. Aceti cujuſvis q. v. linteo aut placenta roſac. exceptum applicetur Fronti.

R. Camphor. diſſect. ʒj. ſolve in aq. vitæ, ſoluto adde Aq. roſ. Aceti roſ. aut alterius an. ℥ß. Miſce, excipiantur ſtupâ aut linteo, & capiti tepide apponatur.

Plantis pedum applicari poſſunt Fermentum panis, cum Aceto & Sale, additâ quandoque Ruthâ viridi conciſâ. Plura in ſequentibus.

Ad ſomnum auferendum hæ aut ſimiles uſurpari poſſunt.

R. Succ. Rutæ, Aceti, an. ℥j. Miſce, liquore hoc linteum madefactum naribus ægri applicetur.

R. Rad. Diptam. Angel. Zedoar. an. ℥j.
Roſar. rubr. Majoran. Lavend. an. ℥ſs.
Aceti opt. ℔iij.
Benè clauſa ebulliant per ſemihoram, hinc refrigeratum duplicato aut triplicato linteo exceptum temporibus, naribuſque applicetur, ſæpius renovando.

XVII. Corporis Motus nullus hîc excedens locum habet.

XVIII. Ab omni Animi Pathemate liber ſit, & æger & adſtantes omni ope alloborent.

XIX. Alvus etiamſi non reſponderit, non tamen à Medico medicamentis irritari debet.

XX. *Pharmacia* circa ſola Antidota occupatur. Quod enim ad Vomitoria, aut per alvum Purgantia venire audeant quidam Medicorum, valdè cum aliis improbamus, præſertim eo tempore, cum morbus eſt in augmento, aut fervore, omni enim modo remittente ſævitie morbi, etiam leviter alvum ſolvi poſſe, imò debere, pillulis maximè antipeſtilentialibus, quales ſunt, quæ Ruffi dicuntur, aut ſimili lenitivo, res ipſa exigit.

XXI. Antidota in hoc caſu plurima Diſputatione præcedente propoſuimus; formulam unam aut alteram adjiciemus;

R. Aq. Alexipharm. ℥ij. Spec. liberant. ℈iij.
Diaſcord. fracaſt ʒij. Conf. d'hyacinth. ℈iß.
Syr. de Limon. ℥j. Aq. Card. bened. ℥iij. Miſce, detur cochleatim.

R. Lapid. Beſoar. orient. aut Unicornu ℈ſs.
Magiſter. perlar. gr. xij. F. *Pulvis*.

R. Dia-

R. Diaſcord. frac. ℈iv.
Sal. abſinth. Card.b. Scord.an ℈ß.
Aq. Alexipharm. Rob ſambuc. an. ℥ß.
Spec. diamarg. frig. ʒß. Aq. Borag. Card.b. an. ℥j.
M. F. *Hauſtus*.

R. Confect. d'Alcherm. ʒiß.
Spec. lætif. Diamarg. frig. an. ℈ij.
Syr. de borag. ℥ij. Miſce pro *Linctu* Cordiali.

XXII. His aut ſimilibus medicamentis adſumptis, æger valde quietus in lecto decumbat, bene ſtragulis tectus, quo ſudor copioſe proliciatur, qui calidis linteis bene auferendus eſt, mutatis & linteaminibus, quibus veſtitus aut tectus eſt, modò id caute fiat, & ſine alteratione.

XXIII. Ad horas ſex aut octo à ſudore liber ægrotans iterum ex prædictis aliquid adſumat, ſi vires perferre valeant; & hoc toties repetendum, quoties anxietas exegerit, vireſque permiſerint.

XXIV. *Chyrurgiæ* in Curatione Peſtis exiguus uſus, licet ad Symptomata emendanda plurimum faciat; Veneſectionem improbamus valde, ſimiliter & Scarificationes cum cucurbitulis, aut Hirudines; Veſicatoria tamen emunctoriis applicata veneni multum elicere poſſe cenſemus.

XXV. *Symptomata* venenati hujus morbi varia ſunt, quorum præcipua, curationem ſæpe admittentia, ſunt, Capitis dolor, Delirium, Somnus gravis, Linguæ ariditas, Sitis, Vomitus, Debilitas, Anxietas, Alvi fluxus, Bubones, Carbunculi.

XXVI. *Capitis dolor*, ſimiliter ac enarrata omnia ſymptomata, ſæpius ſudoris provocatione conveniente, tollitur, at verò ſi nimius fuerit, topica ſola adminiſtrantur, cujus conditionis Epithema & unguentum ſupra ad

ſomnum

ſomnum provocandum præſcripta. Huc etiam Suppedanea, plantis pedum applicanda, faciunt, cujus exemplum eodem loco dedimus; ejuſdem generis poſſunt eſſe.

Rutha aceto madefacta, vel ſola vel cum ſale.

Halec ſalſum, per medium diſſectum.

Fermenti panis q. ſ. cum Raphani ruſtt. raſpat. q. v.

XXVII. *Delirium* aliam hîc curationem haud admittit, quam quæ Peſtis, cephalalgiæ, &c. data fuit.

XXVIII. *Somnus* profundior quibus mediis corrigi debeat, in præcedentibus indicatum.

XXIX. *Sitis* ſine morâ ſedetur, nec potus prohibeatur ægris, qui qualis hîc conveniat, ſupra oſtendimus; gratiſſimum hoc.

R. Aq. Card. bened. aut hord. ℔ iß. Syr. de Limon ℥ ij. M. pro *Iulapio*.

R. Corn. Cervi ℥ j. Carnis limon conciſ. ℥ ij.
F. Decoctum in ſ. q. Aq. Card. b. ad ℔ j.
Colat. adde ſyr. de Citris, Rob. ſambuc. an. ℥ j.
Spir. Nitr. ℈ ß. ſachar. parum. F. *Iulapium*.

R. Syrup. de viol. ℥ j. Limon. ℥ ß. Diamor. ʒ ij. F. *Linctus*.

Excedentem nimis fallere ſæpe cogitur æger, quod facit, dum ore detinet globulum plumbeum, folium ſedi domeſtici, pelliculâ privatum, & aqua madefactum, fruſtum Pomi citri, Lapidis prunellæ parum, aut ſimile, vel Collutiones oris fiunt julapiis frigidis, ſero lactis, acidi aut aliis.

R. Lap. prunell. ʒ ij. Aquæ puræ ℔ j. M. pro *Collutione oris* aut adde ſyr. de Limon. ℥ ij.

XXX. *Linguæ ſiccitas* iiſdem commodè curatur, quibus ſitis tollitur. Aliàs ſolam aquam ſimplicem multum profuiſſe Practici referunt, ſiquidem eâ os colluatur.

XXXI. Quod ſi verò cruſtâ durâ, & ſæpius nigrâ obducatur lingua, utile valde butyri recentis inſulſi in aq. roſ.

roſ. loti, aliquid, ſæpiſſimè de die, ore detinere, uſque dum cruſta decidit.

XXXII. *Vomitus* ſi internis opiatis, Theriacâ maximà, diaſcord: ſimilibùſque haud tollatur, externis eum tollere tentamus, ubi valde utile Cataplaſma ex Panis nigri micâ, in Aceto ad conſiſt debitam coctâ, additâ q. ſ. caryophill. pulveriſ. ſub decoctionis finem.

XXXIII. *Anxietas* non aliis, quam quæ Cor roborare venenumque per ſudores expellere valent, tollitur.

XXXIV. *Debilitatis* cura in omnium eorum quæ Confortandi vim habent convenienti uſurpatione conſiſtit, ſivè internè ſumantur, ſive externè naribus offerantur. Et ſimplicia & Compoſita, quantum ſatis eſt, ſupra propoſuimus, ubi de Antidotis, aëremque corrigentibus. Imò etiam alimenta & potulenta ita ordinari poſſunt, ut roborantia magis ſint, modo ægris non moleſta.

XXXV. *Alvi fluxus* in hoc caſu ſuperveniens ſiquidem in principio non ſiſtatur, periculoſus valde; ſiſtitur autem Diaphoreticis maximè, quæ adſtringendi vi prædita ut Bolus, Terra ſigill. Corall. Cornu Cervi, Tormentilla.

XXXVI. *Bubones*, dolore ac ſæpè etiam duritie, notabiles, in inguine aut axillis ſe manifeſtantes, Chyrurgi diligentiam illicò exigunt. Totus hic in eo occupetur, ut per ſuppurationem materia educatur, quod ſi verò diſcuſſionem moliatur natura, lucri reputet.

XXXVII. Ad hanc primò omnium Veſicatorium aliquod parti dolenti, inferiori ejus loco, applicandum, cujus ope quæ excitatur veſica, ubi ablata, folium Braſſicæ rubræ, oleo raparum aut butyro veteri illitum, parti infectæ imponatur, vel Emplaſtrum Diachylon cum gummis. Altero die Cataplaſma vel Emplaſtrum attrahens, emolliens, atque ſic ſuppurationem promovens,

loco

loco braſſicæ aut emplaſtri dicti, applicetur, cujus uſu ubi ſuppurationem aliquam factam notamus, neglectis attrahentibus, ſolis maturantibus, perfecta ea procuretur, quo, quam fieri poterit, citiſſimè, ſcalpello, loco commodo, tumor aperiri queat. Apertus puris expurgationem exigit, & hinc ulceris, ordinaria per media, lentam curationem.

XXXVIII. ℞. Rad. pyrethri, Euphorb; an. ℈j.
Sem. ſtaph. ag. Sinap. an. ʒß.
Cantharid. ʒiß. Aceti q. ſ. F. *Paſta*, cujus ſume quantum exigit veſica excitanda.

℞. Gumm. Galban. aceto ſol. Emplaſt. Oxycroc. Dyach. cum gum. an. ℥j. M. F. *Emplaſt. maturans.*

℞. Rad. Alth. ℥j. Far. fænugr. ℥ij. Cœpar. ℥ij.
Flor. Cham. Sambuc. an. P. ij. Ficuum N°. xij.
Fimi columb. ʒij. F. *Cataplaſma.*
Theriacæ ℥iij.

℞. Mell. virgin. ℥j. farin. volat. ℥ß. Ovi album. N°. ij.
Theriac. opt. ʒij. M. pro *Unguento Mundificativo*, imò cruſtam, quæ veſicâ apertâ parti ferè inducitur, auferente, ſi, quod ferè fit, ſcalpello auferri nequeat.

XXXIX. Ad *Aures*, aut in *collo* exorti *tumores* ſolam emollitionem, omiſſâ validâ attractione, exigunt.

XL. *Carbunculi* eadem quæ bubonis Curatio, præter enim interna Antidota, ſudorifera, ſuppurantibus mox ab initio applicatis res peragitur, hinc carbone ſeparato & extracto Ulcus communi modo tractatur. Scarificationes cum Cucurbitulis in initio conveniunt, at ſuperficiales. Et hæc de crudeliſſimi hujus affectus curatione pro hoc tempore.

COROLLARIA RESPONDENTIS.

I. *Bilis à ſpiritu vitali Solà ſubtilitate differt.*

II. *Acetum, Oleum, Sal, calida ſunt.*

FINIS.